

posuerunt, stadiorum esse quinque milium quadringentorum. Siquidem uiginti dies secundi sunt itineris, plus quam primi abbreviati, tam ad meridiem quam ad septentriones, quum primum propter diuersiones dierum sit triginta: nam & stadiorum numerum dierum uniuscuiusque, eos qui loca illa peragraverunt, sapientissime annotasse ferunt, non solum quia ita commodum, sed & propter aequationum distantias necessarium fuerit. Proinde quemadmodum de uis magnis & raris dubitare oportet, praecipue ubi distantia emens haud concordant, ita de non magnis, sed saepius & a multis peragratoribus unanimiter relatis, credere decet.

In caput decimum annot.

Ponit Ptolemaeus in hoc capite propriam sententiam super uniuersalis latitudinis termino, quem apud Agisymbam regionem & Prassum promontorium constituit, asserens loca illa non sub tropico brumali poni, sed sub parallelo, qui opponitur parallelo ducto per Meroen, id est, qui distat ab aequinoctiali gradibus 16. & minutis 25. quae faciunt stadia octo milia & ducenta. Concludit tandem, uniuersam cogniti orbis latitudinem non esse 87. graduum aut stadiorum 43500. ut Marinus sensit, sed 80. tantum graduum et stadiorum 40000.

DE IIS QVAE AD LONGITUDINEM orbis non recte à Marino sunt excogitata. Cap. XI.



Igitur ex his nobis plane factum est perspicuum, quantum orbis latitudo extendi possit: longitudinem uero Marinus contineri facit sub duobus meridianis, qui interualla horaria determinant quindécim: nobis uero uidetur & ea quoque distantia mensuratio plus extendi ad ortum quam oporteat, etenim si hic quoque contractio facta fuerit rationalis, tota longitudo non integris duodecim interuallis horariis constabit: quum insule Fortunatae occidentalissimo termino constituentur aequales, orientali autem immanissimae partes Serae, ac Singae, nec non Cattigarae. Porro in distantia, quae

est ab insulis Fortunatis ad Euphratis transitum, per Hieropolim, si parallelus, qui per Rhodum est, obseruetur, quadrabit numerus stadiorum per singula loca ab ipso relatus, nam id ex frequenti itineris usu conuictum est. Quin etiam si ex maioribus ratiocinatum fuerit distantia, apparebit, eum in rectificatione illius, quod propter diuerticula & profectorum redundabat irregularitates, debitum assequutum esse. Sed & in hoc quoque recte sentit, partem unam qualium est circulus maximus tricentorum sexaginta, quingenta in terra constituisse stadia, id enim confessis dimensionibus consonum existit. Circumferentiam autem ipsi similem, paralleli eius, qui per Rhodum transit, hoc est, qui ab aequinoctiali abest partibus triginta sex, quadringenta fere comprehendere stadia, nam id quod iuxta consentaneam parallelorum rationem superat, quum in exactiori deprehensione modicum existat, obmittendum est. Ceterum distantiam eam, quae a praedicto Euphratis transitu, usque ad turrim est lapideam, ac per ipsum esse colligitur schœnorum octingentorum septuaginta sex, stadiorum uero uiginti & sex milium necnon ducentorum octuaginta: eam praeterea quam ipse à lapidea turri, usque ad Seras, quae Serum est metropolis, uiginti septimestris, esse, stadiorum autem triginta sex milium & ducentorum asserit: utranque tanquam sub eodem parallelo, secundum institutum nostrum, in debitam contrahemus rectificationem. Quandoquidem constat, eum in ambobus itineribus nequam minuisse id quod propter diuerticula superabundabat: quin in secundo etiam itinere in eosdem incidisse errores, quibus & in itinere à Garamanibus usque ad regionem Agisymbam, lapsus est. Nam & ibi quoque collectum stadiorum numerum mensuratum quatuor, & dierum quatuordecim plus quam in dimidiam partem contrahere fuit coactus. Quum incredibile sit, tam longo tempore continuam peregrinationem factam fuisse, ut rationaliter spacium

b septem